

1536 circumcidunt, atque Christi sacra ejerare cogunt. Accidit præterea, ut vel devictis, ac domitis provinciis, vel terra, marique prædabundi excurrentes, multos mortales captivos efficiant: iisdemque artibus tenella ætate ephebos in suam sectam pertrahunt, atque ex iis, qui præclara indole indicia futuræ virtutis præferunt, sæpius Regi dona exhibentur. Ex omni numero selecti, quos vel oris decus, ac pulchritudo, vel membrorum firmitas, atque artuum robur ad certum egregie factorum decus ortos significant, intra septa regia educantur; pro cuiusque virtute in spem amplissimarum dignitatum aluntur, atque ad primum *Visiratum*, qui post Regem summus honos habetur, adspirante fortuna, extolluntur. Qui vero inferioris notæ, cum quintum ac vigesimum annum attigerint, ex iis prætoriani milites, *Fanizzeri* nempe, eliguntur; neque præter hujusmodi hominum genus, alii ad honores, ac stipendia regia admittuntur, licet posterioribus temporibus vel gratia, vel pretio nonnulli ex indigenis Turcis ad militaria munera, atque ad gubernacula provinciarum pervenerint. Sed quemadmodum arma, atque imperitandi ratio penes eos est, qui olim Christi sacramenta susceperant, ita quæ ad sectam, ac leges pertinent, ab iis, qui eorum religionem cum lacte hauserint administrantur. Ex quorum genere templorum, ac fanorum, quas *Mesebitas* vocant, ad religionem procurandam rectores, ac æditi deliguntur. Eorum filii cum primum adolescere cœperint, legem, quæ *Alchorano* continetur, edocentur; inde juri populis dicundo in oppidis, atque civitatibus constituuntur. Exequendi jus ad eos, qui arma tractant, spectat, caput ac princeps religionis *Mupbtis* est, a Rege delectus; is magnam auctoritatem obtinet, summaque in existimatione est: illum tanquam oraculum adeunt. Præcipiendi atque imperandi experts cum sit, cuius tamen ex lege illum consulere licet, strictim re exposita, quid juris, atque æquitatis, exquirere: qui perbrevis responso (& *fa* appellant) quid censeat, significat: tantumque in eo ponderis est, ut illi contradicere sit nefas. Gravissimis de rebus quæ ad summam imperii pertinent, Rex, justitiæ, ac religionis opinionem affectans, ab illo sententiam